

*titulo B. M. V. immac. civitatis Monachii* in Bavaria Frising. Dioecesis, quod in colleg. Ecclesia praedicta juxta piam institutionem memoriam hominum excedentem feria 5. qualibet missa sol. decantari solet eaque absoluta fit sol. processio SS. Sacramenti interessentibus civibus atque universitatibus artium suo ordine distributis maximamque populi quantitatem constituentibus; quolibet vero die Sabbati post decantatum Matutinum una cum laud. sol. missa celebratur B. V. M. ex fundatione in ejus hon. constituta a devotione et pietate electoralis domus Bavariae. Cum autem a S. R. C. alias concessum fuerit, ut qualibet fer. 5. in praedicta Ecclesia Officium, quod in die festo Corp. Chr. recitatur, quilibet vero die Sabbati off. de immac. Concept. B. M. V., exceptis feriis quintis et Sabbatis Adv. et Quadrag. recitari possit, ipsi vero Exponentes Officia hujusmodi etiam in feriis quintis et Sabbatis Adv. et Quadrag. non impeditis tamen ab Off. 9 ll. recitare posse plurimum desiderent, Nos specialibus gratiis ipsos Exponentes prosequi volentes, *eisdem nunc et pro tempore existentibus Decano et Canonicis atque Capitulo dictae ecclesiae Collegiatae, ut ipsi temporibus etiam Adv. et Quadrag. qualibet fer. 5. Off. et Missa SS. Corp. Chr. et qualibet Sabb. Off. et Missa de immac. Concept. B. V. M.*, dummodo uterque dies hujusmodi ab officio 9 ll. impeditus minime sit, libere ac licite sub ritu dupl. recit. possint ac valeant, facultatem tenore praesentium concedimus.

Non obstantibus Quibuscumque etc. Romae. Die 18. Novbr. 1772.  
(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 516.  
Ed. Rom. 1841.)

#### Pius PP. VI.

Cum sicut dilectae in Christo filiae abbatissa seu priorissa et moniales

monasterii beatae Mariae virginis Remediorum nuncupatae ordinis sancti Augustini oppidi de Potosi charcasensis dioecesis in Indiis exponi Nobis nuper fecerunt, ipsac pro eo, quem erga SS. Sacramentum gerunt devotionis affectu, semel in mense officium ejusdem SS. Sacramenti recitari posse summopere cupiant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut imposterum dictis exponentibus liceat semel in mense, die non impedita ab officio novem lectionum, recitare officium SS. Sacramenti ritu semiduplici, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum sive cum jejunio sive absque jejunio, necnon feria secunda rogationum atque aliis feriis, in quibus secundum rubricas sit reponendum officium dominicae aut de festo dupli vel semiduplici, translato, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, facta etiam potestate sacerdotibus omnibus in earum ecclesiam ad sacrificandum convenientibus missam respondentem eidem officio celebrandi.

Datum Romae die 11. Martii 1794.  
(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 361.)

Officia concessa semel in Hebdomada, ut de Conceptione B. M. in Sabato vel SS. Corporis Christi in fer. V., non sunt celebranda in Adventu, Quadragesima, IV Temporibus nec in Vigiliis. Ita S. R. C. 1. Martii 1681 in eadem Canon. Regul. Lateran. ad 6. Dubium.

#### Cadicen.

S. R. C. benigne indulxit clero de Gibraltar Cadicen. dioecesis, ut ipse

et missa fer. V.)

601

quolibet die jovis per annum non impedita tamen festo novem lectionum recitare possit officium SSmi Sacramenti ad instar concessionis alias factae religioni s. Augustini.

Die 2. Decembris 1673.

(Anal. J. P. 1865. p. 1182 n. 1980.)

#### Aquen.

Proposito in Sacra Rituum Congregatione dubio PP. s. Hieronymi terrae Campi dioecesis Aquen. provinciae Mediolanen. super consuetudine recitandi in choro quolibet die jovis officium SSmi Sacramenti, die Sabbati B. M. V. et semel in mense officium s. Augustini et s. Hieronymi: An in praedictis casibus satisfacient praecepto recitandi divinum officium? S. R. C. declaravit: non licere, nisi ex speciali concessione Sedis Apostolicae sub poenis in constitutione Pii V., Clementis VIII. et Urbani VIII. contentis, non obstante mandato Prioris, cuius jurisdictioni subsunt, quemadmodum in similibus respondit et signanter in *Galliarum* 6. Aprilis 1658. Quatenus vero extet concessio, intelligenda est, exceptis diebus adventus, quadragesimae, vigiliarum et quatuor temporum, juxta declarationem ejusdem s. Congregationis die 10. Novembris 1612 et 11. Aprilis 1641, et ita servari mandavit.

Die 18. Junii 1689.

(Anal. J. P. 1865 p. 1307 n. 2396.)

#### Valentinien.

Archiepiscopus Valentinus, qui sumptibus suis collegium fundavit cum capella sub invocatione SSmi Corporis Christi et cum servitio clericorum et presbyterorum, qui ibi missas et divina officia celebrant, et ob summam ipsius Archiepiscopi erga SS. Sacramentum devotionem et venerationem, petuit ut singulis quintis feriis in dicta cap-

pella officium et missa de SSmo Sacramento, singulis vero feriis sextis missa de plagiis D. N. Jesu Christi, et singulis Sabbatis missa de Beata Maria celebrari et recitari possit, non obstante quovis festo dupli occurrente, et quod personae ad servitum dicti collegii destinatae recitando etiam private officium SSmi Corporis Christi dictis quintis feriis satisfaciant ac si officium currens Breviarii Romani recitarent. Congregatio Sacrorum Rituum facto de praedictis omnibus verbo cum SS. D. N. et de ejus expresso ordine et mandato censuit concedi posse, ut singulis quintis feriis non impeditis festis novem lectionum officium et missa de SSmo Sacramento in supradicta capella sub invocatione SSmi Sacramenti dedicata celebretur. In reliquis vero servetur forma Missalis et Breviarii Romani; et ita declaravit.

Die 3. Augusti 1602.

(Anal. J. P. 1863 p. 17 n. 18.)

#### Salamantina.

Abbatisa et moniales sancti Spiritus ordinis s. Jacobi de Spata civitatis Salamancae ob particularem devotionem erga SSimum Sacramentum usum antiquum diu intermissum recitandi in choro officium s. Corporis Christi secundum formam earum antiqui ritualis renovare cupientes, a s. Rituum Congregatione petierunt licentiam recitandi dictum officium SSmi Sacramenti singulis quintis feriis non impeditis festo novem lectionum et extra tempus adventus, quadragesimae, rogationum et quatuor temporum.

Sacra Rituum Congregatio respondit: non esse relinquendum officium currentis feriae seu festi simplicis. Quod si etiam officium SSmi Sacramenti ea die recitare voluerint, licentiam concessit, dummodo officium feriale praedictum vel festi simplicis saltem sine

cantu in choro vel extra recitare non omittant. Et ita declaravit.

Die 29. Septembris 1603.

(Jbid. p. 28 n. 103.)

Feriae.

Ad preces porrectas SSmo D. N. nomine Ducis de Feria ab eodem S. D. N. ad Sacram Ritum Congregationem remissas, ut confratres societas Corporis Christi erectae in ecclesia parochiali oppidi de Zafra sub dominio Ducis Feriae ejus filii possint singulis quintis feriis celebrare festum SSmi Sacramenti cum processione et commemoratione ac indulgentiarum participatione, prout fel. rec. Gregorius Papa XIII. Bernardino de Mendoza per litteras suas in forma Brevis expeditas sub die 3. Martii 1560 concesserat,

Eadem S. Ritum Congregatio respondit: quoad celebrationem festi concedi posse, ut singulis quintis feriis processio fiat tantum per ecclesiam; sed officium et missa celebretur de feria vel festo currenti et in missa fiat commemoratio de SSmo Sacramento. Quo vero ad indulgentias ad eumdem SS. D. N. recurrentem esse; et ita censuit et declaravit die 30. Aprilis 1604.

(Jbid. p. 33 n. 117.)

Tullen.

Supplicatum fuit SSmo ad instantiam Emmi et Rmmi D. Card. Barberini concedi Congregationi strictae observantiae regulae s. Benedicti, Tullen. dioecesis, posse in ecclesiis monasteriorum ejusdem Congregationis fundatorum a Serenissima Catharina a Lotharingia celebrari officium SSmi Sacramenti qualibet feria quinta, et supplicatione per SSnum ad hanc S. R. C. remissa, eadem Sacra Congregatio censuit: concedendum, dummodo non sit impedita

festo novem lectionum et exceptis feriis quintis occurrentibus in adventu, quadragesima et vigiliis, si SSmo placuerit. SSmus annuit.

Die 18. Septembris 1632.  
(Anal. J. P. 1863 p. 246.)

#### XXIII. Officium ratione Expositionis.

Xantonen.

Abbatissa et moniales s. Benedicti civitatis Xantonen. supplicarunt pro facultate recitandi officium Corporis Christi juxta ritum breviarii romani illis quatuor diebus singulis annis, quibus ex antiquissima consuetudine SSnum Eucharistiae Sacramentum quater in anno in ecclesia monasterii praedicti publice adorandum exponitur. Et Sacra Congregatio oratricum supplicationibus benigne annuens et citra approbationem dictae consuetudinis eis benigne indulxit, ut quater in anno officium praedictum SSmi Corporis Christi juxta ritum breviarii romani recitare possint post expletum officium occurrens, dummodo illud privatim et sine cantu recitent.

Die 23. Januarii 1644.  
(Anal. J. P. 1863 p. 299.)

#### XXIV. Officium propter miracula SSmi.

Vd.: SS. Sacr. Euch. (miraculos.)

Lingonen.

Collegiala insignis et regia Divionensis in Burgundia ob peculiare et extraordinarium miraculum SSmi Corporis Christi per hostiam sanguine conspersam, quae ibidem jugiter veneratur, supplicavit pro induito celebrandi officium de SSmo Sacramento qualibet feria quinta non impedita. Et Sacra Congregatio abnuit, eo quod asservatur denegatum in hismet terminis ecclesiae Cathedrali Urbevetanae, ubi

28

simile miraculum solemnius appareat, ex quo causa institutionis ipsiusmet solemnitatis Corporis Christi emanavit.

Die 16. Augusti 1642.  
(Anal. J. P. 1863 p. 287.)

#### Divionen.

Decano et capitulo nec non universo clero regiae collegialis ecclesiae Divionen. potentibus facultatem recitandi qualibet feria V. non impedita festo novem lectionum officium SSmi Sacramenti intuitu hostiae miraculosa, quam iidem in ecclesia asservant, s. Congregatio respondit: Lectum.

Die 9. Junii 1657.  
(Jbid. p. 340.)

#### Divionen.

Capitulum Divionen. alias S. Ritum Congregationi supplicavit pro facultate recitandi officium duplex SSmi Sacramenti qualibet feria V. non impedita intuitu miraculosa hostiae ab Eugenio IV. ad ducem Burgundiae transmissae. Et Sacra eadem Congregatio R. P. D. fidei promotoris oppositiones audire mandavit. Institit mox idem capitulum, ut sibi eadem oppositiones communicarentur. Ac Emmi DD. describi mandarunt: Dilata.

Die 24. Maii 1659.  
(Jbid. p. 356.)

#### XXV. Off. Monial.

Leodien.

Vd.: p. 600, 601.

Monialibus Angelorum Leodien. civitatis potentibus facultatem recitandi officium SSmi Sacramenti qualibet feria quinta non impedita festo novem lectionum s. Congregatio respondendum censuit: Lectum.

Die 23. Julii 1661.  
(Anal. J. P. 1863 p. 377.)

#### Ebrodunen.

Monialibus s. Salvatoris dioecesis Ebrodunensis potentibus facultatem attribui recitandi officium SSmi Sacramenti qualibet feria V. non impedita festo novem lectionum S. Ritum Congregatio respondit: Lectum.

Die 8. Julii 1662.  
(Jbid. p. 382.)

#### XXVI. Officii ritus.

##### Redemptionis Captivorum.

Vd. p. 600 decr. Pii VI., p. 596 n. 98.

Cum Sacra haec Ritum Congregatio sub die 19. Novembris 1622 declaraverit indulsum alias concessum per fel. record. Clementem VIII. fratribus ordinis SSmae Trinitatis, redemptionis captivorum recitandi officium hebdomadis duabus diebus, uno scilicet officium de SSmo Trinitate, altero de SSmo Sacramento, esse intelligendum sub rito semiduplici et hac declaratione non obstante multos regulares discalceatos hujus ordinis recitare supradicta officia non absque magna varietate; frater Joannes de Annunciatione procurator generalis fratrum discalceatorum ad evitandam hujusmodi varietatem supplicavit de novo praecipi, sub quo rito in tota religione sui ordinis praedicta officia recitari debeant. Et Sacra Congregatio ad relationem Emmi Cardinalis Virilis respondit officia praedicta recitari debere sub rito semiduplici et dummodo dicti duo dies non sint impediti officio novem lectionum proprio aut translato et ita in tota religione supradicta omnino in posterum servari mandavit.

Die 29. Novembris 1632.  
(Anal. J. P. 1863 p. 247.)

#### XXVII. Oscula cor. SS. exposito.

Vd.: Osculum cor. SSmo.

Juxta Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. XXXIII. n. 19 initio Pro-

cessionis SSmi Corporis Christi Presbyter assistens ministrat Episcopo naviculam absque osculo cochlearis et manus. Exinde nonnulli concludunt, oscula omnia sive manus sive rei porrigenae, aut acceptae omittenda esse in Missa coram SSmo Sacramento exposito celebrata, excipiunt tamen osculum manus celebrantis a Subdiacono faciendo post cantatam epistolam et oscula consueta a Diacono facienda ad benedictionem ante Evangelium, ad oblationem Hostiae et Calicis et in porrigeno Patenam post Orationem Dominicam; ita Manuale ecclesiasticum n. 1042 editionis romanae anni 1853. Alii e contra cum Tetamo (appendice ad Diarium cap. III, n. 31), Gardellini in Instructione Clementina §. XXX, n. 14. statuunt hanc regulam: Illa tantum omitti debent oscula, quando faciendum aliquid est, quod specialiter Sacramentum expositum dumtaxat respiciat, non illa, quae ad ritum Missae solemnis proprie pertinent. Inter has ergo opiniones quaeritur: quanam sit in praxi sequenda? v. gr.: an coram Sacramento exposito Diaconus ministans celebranti aspersorium ad aspersorium aquae benedictae faciendam debeat vel non osculari aspersorium et manum celebrantis?

S. C. resp.: Sequendam regulam in collectione authentica Decretorum SS. Rituum Congregationis a Gardellini indigitatam, quum aspersio proprie non spectet ad ritum missae sed sit tantum actio praeliminaris.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857. p. 2196.)

#### XXVIII. Particulae consecrandae (Modus.)

Vd.: Ritus consecrat. particul.; SS. Sacr. euch. (renovat.)

#### XXIX. Particulae dubie consecratae et asservatae.

Vd.: SS. Sacram. euch. (asserv. in eccles. vel claustr. Monial. furtiva et reportata.)

#### Maceraten.

Rummo D. Episcopo Maceraten. Rmme D. uti frater. Relatis literis Amplitudinis tuae super duabus particulis hostiae repertis in capsula inter reliquias cathedralis ecclesiae Tolentinae asservata et Amplitudinem tuam, quamvis in visitatione ejusdem ecclesiae sedulo studio id investigaverit, scire nequisse, an eadem particulae sint consecratae, Emmi PP. S. Rituum Congregationi praepositi Amplitudini tuae injungi mandarunt, ut easdem particulas illico, secreto tamen et ea, quae par est, dexteritate, ne scandalum inde oriatur, consumi faciat; diuque felix incolumisque vivat.

Romae die 24. Jan. 1682.

(Anal. J. P. 1865 p. 1241 n. 2192.)

#### XXX. Ut Patronus Ecclesiae.

#### Oveten.

Episcopus, capitulum, civitas, dioecesis et principatus Oveten. asserentes plura loca dioecesis rite et recte recepisse in patronam sanctam Eucharistiam supplicarunt approbari electionem hujusmodi et de ea concedi officium in omnibus locis, quae eam acceptarunt tamquam de patrona, cum commemoratione ipsius in illis diebus, in quibus praeccipitur ab Ecclesia fieri suffragia. Et Sacra Congregatio ad relationem Emmi Pamphilii approbavit electionem et de ea in omnibus supradictis locis, quae eam acceptarunt, concessit officium et missas, cum commemoratione, quando fiunt suffragia, juxta rubricas.

Die 19. Februarii 1639.

(Anal. J. P. 1863 p. 270.)

#### XXXI. Quis porrigit et quo modo SSMum Celebranti (Episcopo)?

Vd.: Ostensorium; Diaconi ass. Episcop. (porrig.)

#### Instr. Clem. §. XXIV. n. 12 etc.

Diaconus assistens et non aliis cum debitibus reverentiis capit SSMum de altari et illud stans offert Episcopo genuflexo sine reverentia erga Episcopum et sine osculo; sed postquam illud in manibus Episcopi reliquit, genuflectit, Episcopus vero cum SSmo surgit. — Cum Episcopus erit ante supremum gradum altaris Diaconus accipiet de manu ipsius stantis SSMum genuflexus sine osculo manus, quod deponit super altari. Caer. Ep. I. II. c. XXIII. n. 12, 13.

Diaconus assistens a dexteris accedet ad altare (*in initio Process. SS. Corp. Chr.*) et cum debitibus reverentiis accipiet Ostensorium SSmo de altari et illud in manibus Episcopi genuflexi collocabit, cui nec manum osculabitur nec ullam tunc faciet reverentiam, sed statim atque in manibus ejus SSMum reliquerit, genuflectet. Postquam Episcopus pervenerit ad supremum gradum altaris, Diaconus a dexteris cum debita reverentia et genuflexione ac sine osculo accipiet de manu ipsius Episcopi stantis SSMum et illud super altare collocabit. Jbid. c. XXXIII. n. 20. 24.

Tunc (*incensato SSmo ad altare ejusdem in Parasc.*) primus Diaconus assist. accipit SSMum illudque in manibus Episcopi genuflexi reverenter collocat et statim genuflectit. — Cum pervenerit ante gradus altaris Diaconus *Evangelii* genuflexus ante altaris gradus accipit SSMum de manu Episcopi stantis. Jbid. I. II. c. XXV. n. 31. 32.

Incensato SSmo (*ad altare SSmi in Parasc.*) *Celebrans* accipit SSMum illudque in manibus Episcopi assistentis collocat et statim genuflectit. Cum pervenerint ad cancellos altaris *Cele-*

*brans genuflexus* ante gradus altaris accipit SSMum de manu *Episcopi (assistantis) stantis.* Jbid. c. LXVI. n. 15. 16.

#### XXXII. Processio.

Frequentia, licentia Episcopi, Imagines et Reliquiae circumferendae unacum SSmo.

Vd.: Processio SS. Corp. Chr.; Process. SS. Sacramenti; Process. SS. Corp. Chr. (Quae res circumferri etc.)

#### Mechlinen.

Archiepiscopi de Malines adversus Regulares super observatione sui decreti et declaratione dubiorum circa expositionem SSmi Sacramenti et alias processiones, referente Emmo Albicio, ultraque parte informante, fuit resolutum ad favorem Archiepiscopi, prout in folio reposito in fasciculo memorialium Congregationis s. Rituum habitae die 21. Martii 1676. Sanctitas Sua ad instantiam regularium Belgii mandavit suspendi decretum praedictarum resolutionum ad effectum componenti pro concordia. Die 28. ejusdem mensis Martii anni 1666. Deinde Emmus Cybo de ordine SSmi D. N. Innocentii Papae XI. mandavit in hac causa non publicari praedictum decreatum et nihil innovari.

Die 8. Novembris 1676.

#### Adnotatio

Ex allegatione pro Archiepiscopo ad s. Congregationem porrecta:

„Inhibuit Illmmus D. Archiepiscopus Mechlinien, pro eximio suo erga divinum cultum studio et ad tenorem Synodi provincialis sub tit. 7. cap. 8, ne venerabile SSmae Eucharistiae Sacramentum nisi in publicis supplicationibus et ex causis arduis pacis et publicae necessitatis circumferretur, aut publicae venerationi exponeretur,

ac si quando circumferri ut supra contingeret, vetuit una devehi sanctorum reliquias et imagines.

Et quamvis decretum praefatum non modo synodalibus sanctionibus esset prorsus consentaneum, sed undequaque etiam rationabile et ob invalescentes abusus apprime necessarium, visum est tamen prudentissimo antistiti palam facere motiva, quae ipsum ad id congruenter impellerent et proprio impresso typis libello cum epigraphe epistolae pastoralis monuit quanto cum jure ad ita inibi decernendum deve- nisset.

Quae tamen cum satis probata non remanserint apud aliquos ejus dioecesis regulares, qui pro dicti decreti moderatione adhuc pertinacius insistunt, supplicamus proinde ut praevia ejusdem decreti in omnibus confirmatione, perpetuum silentium reclamantibus indicatur.

Sicut enim s. Concilium Tridentinum (sess. 21. cap. 8. ac sess. in dto de observ. et evit. et alibi passim) demandavit Ordinariis, ut divini cultus augmentum pro viribus procurarent abususque, qui irrepserant praesertim in exhibenda augustinissimo Sacramento reverentia, sedulo evellerent, ita pariter compertum est eosdem Ordinarios saltem tamquam apostolicae sedis delegatos posse etiam regularibus ac quibusvis exemptis inhibere, ne sacrosanctam Eucharistiam nisi ex causa publica ab ipsis Ordinariis approbanda in ipsorum ecclesiis exponant, ut adductis duodecim resolutionibus s. Congregationis firmat *Nicolius* in flosculo, verbo: Eucharistia n. 23., Gavant. in Manuali Episcoporum verb.: Eucharistia n. 53 et 54 et verb.: Regulares jur. sub. Episc. n. 19 et 20, *Lezana* summ. quaest. regul. tom. 2. cap. I. n. 26, et tom. 3, verb. Eucharistia n. 24, *Novarius* in *Lucerna* Regul. eodem

verbo vers. *Expositio* et alibi plures, et omnes adducunt in comprobationem varias s. Congregationis resolutiones, quibus addi potest resolutio s. Congregationis Concilii declarans hanc controversiam esse jamdiu decisam ac definitam.

Consonat autem haec moderatio in SSmo Eucharistiae Sacramento circumferendo intentioni s. Conc. Trid. sess. 13. cap. 5., ubi collaudata religiosa consuetudine, quod singulis annis peculiari festo die solemnitas celebretur, in processionibus honorifice circumferatur, subdit aequissimum esse sacros aliquos statutos esse dies, quibus christiani se pro tam singulari beneficio gratos ac memores testentur, et victrix veritas de mendacio ac haeresi triumphum agat, quibus quidem diebus nimirum intra ejus solemnitatis octavam licet omnibus indistincte in processionibus circumferre, ut praeter DD. supra relatios etiam sancitum fuit in constitutione s. M. Gregorii XII. Bullar. nov. tom 2. fol. 280; quae tamen ultra dies praedictos extendi nullatenus valet ut constat ex ipsa litera. Accedit inconcussa observantia consimilia decreta etiam respectu regularium promulgandi in synodis tam dioecesanis quam etiam provincialibus, ut in eadem Mechlinensi anni 1570 et 1607; in Antverpiensi anno 1610, in Sylvaducensi anno 1612; in Iprensi anno 1629; in Cameracensi anno 1631. Et extra Belgum idem passim receptum videtur in synodis gallicanis, ut in Lemovicensi anno 1619; in Carduccensi anno 1630; in Rothomagensi anno 1639; in Aurelianensi anno 1644; in Meldensi anno 1653; a quibus tamen nec reclamatum nec eisdem contraventum unquam appareat.

Quinimo non solum ab universo saeculari clero sed per plures etiam ex regularibus decreto Illmmi D. Archiepiscopi fuit consensum, ut ex actibus

### XXXIII. Prodigiosum.

Vd.: SS. Sacram. Euch. (Asservatio in eccles. vel claustr. Monial. decr.: Granaten etc.; miraculos.)

### XXXIV. Renovatio.

Vd.: Instructio Clem. §. XXXI. n. 24.; Sumptio SS. Hostiae; Visitat. SS. Sacrm.; SS. Sacram. (Asservatio in eccles. vel claustr. Monial., decr. Granaten t. III. p. 502 etc.)

Renovatio SS. Sacram. debet fieri qualibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies. S.R. C. 5. Apr. 1573. In renovatione, quae qualibet octava die fieri debet de Augustinissimo Euchar. Sacramento, consumi debet tum hostia tum etiam particulae, quae existunt in tabernaculo post sumptionem Sanguinis ante Purificationem; illa vero verba, quae habentur in missali c. 10. n. 5: *Si vero adsint hostiae consecratae etc.*, possunt intelligi de hac renovatione aequae ac de nova confectione Sacramenti servandi pro alia die. n. 2602 ad 3 die 3. Sept. 1672.

*Ad dubium.* Rector Ecclesiae reperit in Ecclesia sua consuetudinem renovandi panem pro Sacrificio missae et Communione Fidelium singulis tribus mensibus tempore hyemis, tempore vero aestivo solitum confici pro sex mensibus. Hinc quaeritur:

1) An attenta consuetudine, Rector licite consecrare possit species a tribus mensibus tempore hyemis vel a sex mensibus in aestate confecta?

2) An casu, quo Rector Ecclesiae praxim illam approbet nec velit eam relinquere, ali Sacerdotes in eadem Ecclesia inservient et possint tuta conscientia in hoc Rectori obsecundare, utendo praefatis speciebus?

S. C. resp. *ad 1.*: Negative; et eliminata consuetudine servetur rubrica;

*ad 2.*: Negative. n. 4623 I. 1. 2.  
Die 16. Decbr. 1826.

(Anal. J. P. 1865 p. 1199. n. 2038.)

## NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Consuetudines laudabiles et rationabiles servari licite possunt, quamvis plane non convenient cum regulis contentis in Caeremoniali Episcoporum, Rituale Romano aliisque liturgicis Codicibus. Quod si utraque destituantur qualitate, omnino tollenda et eliminanda sunt ac ad formam legum S. R. C. exigenda.

Id profecto accedit relate ad dubia, quae Sacrorum Rituum Congregationi pro decisione delatae fuerunt a Parochis Gandavensis Dioecesis. Omnia fere, etsi ab iisdem legibus difformes ritus exhibeant, non alio innituntur fundamento, si illud excipias, quod originem causamque ab una dumtaxat consuetudine trahit. Sed istiusmodi consuetudo tantum abest, ut dici possit rationabilis et laudabilis, quinimo potius ut detestabilis corruptela habenda sit ac proinde omnino reprobanda et damnanda, etiamsi longissimi temporis observantiam ostentaret.

Jure igitur Emmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi propositis dubiis id omne reformandum esse decreverunt, quod perperam et contra legem Ecclesiaeque disciplinam, sub consuetudinis praetextu hic usque gestum est.

Et revera ad praesens dubium quod attinet, nemo est, qui non sciat pro quibusdam conferendis Sacramentis parandam ac adhibendam esse materiam designatis ritibus, precibus ac caeremoniis, a quibus vetitum est declinare, praeterquam in Sacramento Baptismatis, pro quo conferendo, si necessitas urget, ac imminentis mortis periculum, non opus est adhibere aquam solemniter sacram, sed sufficit simplex et elementaris. Sic feria V. in Coena Domini sacra ab Episcopo magnoque ministrorum et caeremoniarum apparatu conficiuntur olea, quae in posterum per integrum sequentem annum

adhiberi debent, nec amplius ut fas est veteribus, quae comburenda sunt. Quinimo si quis, deficientibus recente sacratis, antiquis ulatur, (puta in Extrema Unctione) actus erit illicitus, non tamen invalidus. De hoc tamen opportunior redibit disserendi occasio in sequentibus enodandis dubiis: interest modo cohibere sermonem ad illud, quod praesens dubium requirit, et refertur ad materiam Sacrificii, praecipue vero pro eo conficiendo et in particulis asservando ad Communionem Fidelibus administrandam. Quilibet panis vel fermentatus sit vel azimus corruptioni obnoxius est, si diurno tempore reservetur, praesertim vero si in Arca vel alia custodia observatus retineatur. Et quamvis fermentatus magis ac citius quam azimus ad corruptionem perget, nihilominus azimus etiam alterationem patitur. Nolo hie immorari in quaestione: num facilius sit, quod citius in aestivo quam hyemali tempore corruptio eveniat vel e contra; mihi sufficit, quod sine ullo discrimine et distinctione, inter varias anni tempestates non liceat ad Communionem Fidelium adhibere particulas vel a sex vel a tribus mensibus reservatas, quia uno vel altero temporis interjecto spatio facile possunt sacrae species corrupti, quod omnino vitandum est. Idecirco sacrae, quibus utimur, leges jubent frequenter renovandum esse Sacramentum ad evitandum corruptionis periculum. Et quamvis, ut supra notatum est, citius fermentatum corruptioni obnoxium sit, difficilis tamen in azimo copta corruptio ex visus sensu cognosci potest; quapropter, ne servatae particulae capta jam sed non visu cognita corruptione adhibeantur, easdem frequenter renovari necesse est. Quo enim difficilis corruptio solo intuitu cognosci potest, eo major adhibenda cautela est, ne id contingat. Nostrum Romanum Rituale

ideo praecipit: SSmae Eucharistiae particulae frequenter (Parochus) renovabit, Hostiae vero seu particulae consecrandae sint recentes, et ubi eas consecravit, veteres prius distribuat vel sumat; tit. de SSmo Eucharistiae Sacramento §. SSmae etc. Clara est lex; sed quoniam Rubrica tempus, intra quod particulae renovandae sunt, non declarat, aliquis forte putabit, quemque suo pro lubitu facere id posse, dummodo de corruptionis periculo certe non constet. Evidem perperam; primum enim non expectandum est, quod certe de periculo constet, sed periculum praevenire oportet: dein vero advertendum, quod si particularum renovatio relinqueretur in privatorum arbitrio, ut et interpretatio dictionis frequenter, illud perquam facile accidere malum posset, quod, ne fiat, diligentissime curandum est. Praeterea, quod generice innuit Rubrica nec satis clare praecipit, aliis ex fontibus singulariter nec obscure desumitur. De renovanda enim Sacra Eucharistia habetur Decretum Concilii Turonensis apud Regionem lib. 1. de ecclesiasticis disciplinis cap. 70. Ibi legitur: ut de tertio in tertium diem semper mutetur, illa a Presbytero sumatur et alia, quae eodem die consecrata est, in locum subrogetur, ne forte diutius asservata mucida, quod absit, fiat. Rigida forte nimis hujusmodi sanctio videbitur. Non intercedo; neque in expendenda ea sanctione, quae particularem Ecclesiam respicit, est animus me velle immorari. Quae fuerit et modo sit universalis Latinae Ecclesiae disciplina quaerendum est, nec ab ea declinandum. Audiendus Barruffaldus ad supra notatum Ritualis locum: Praecipit Rubrica nostra, ut frequenter renoverentur particulae, ne in Pyxide et in Tabernaculo clausae corrumpantur et sic Sacramentum amplius non adsit, quia corruptis panis speciebus cessat esse Corpus

Decreta authentica. Tom. III.

Christi. Ista frequentia D. Carolus act. 4. decrevit, ut octavo quoque die ad summum esset intelligenda. Martenius de antiquis Ecclesiae ritibus lib. 1. cap. 5. n. 3. infinita propemodum affert testimonia, quibus comprobant constantem esse disciplinam Ecclesiarum renovandi particulas semel in hebdomada vel saltem ad summum de quindecim in quindecim dies. In Concilio Mediolanensi IV. Provinciali et capite, cui titulus: „Quae ad SSimum Eucharistiae Sacramentum pertinent“, a s. Carolo Borromaeo statutum est: ut octavo quoque die renovetur Eucharistia et quidem ex Hostiis non ante viginti dies ad summum confectis. Idem saepe alibi confirmat et praesertim in Instructionibus de ipso Eucharistiae Sacramento. Sic enim inquit: eas (Eucharistiae particulas) octavo quoque die ad summum renovabit. Hostiae autem adhibeantur recentes et a viginti diebus ad summum confectae. Quod autem non ultra octavam diem particulae pro Communione Fidelium reserventur, expresse mandant passim non recentes modo Synodi, verum etiam antiquiores, praesertim Rotomagensis anni 1072. Can. 6., et Londenensis anni 1257. Can. 2. etc.

Haud ignoro apud Graecos Eucharistiam in Coena Domini consecratam usque ad annum reservari consueuisse, quia apud eos invaluit opinio, quod Eucharistia in Coena Domini consecrata majoris foret efficaciae. Verum Innocentius IV. in literis apostolicis ad legatum in Regno Cypri super ritibus Gaecorum hunc errorem prescripsit et reservationis licentiam ad quindecim dies cohibuit. Quamvis vero etiam Clemens VIII. constitut: SSmus 31. Augusti 1591. Eucharistiae reservationem non ad octo cohibuerit, sed ad quindecim usque dies protrahi posse declaraverit, notandum primo